



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Disputatio XXV. De voluntate Christi. Vtrum in Christo voluntas humana
fuerit contraria voluntati diuinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

Quarto arguitur, quod ex Aristotele 3. *Physicorum* text. 18. vnum, & duo denominatiue dicuntur; sed Christus habet dualitatem naturarum, ergo est duo: nam vnus est habens vnitatem, & duo habens dualitatem.

Respondeo, aliqua esse praedicata, ad quorum veritatem non satis est habere illa quocumque modo, sed requiritur habere illa per identitatem. v.g. existens non est, quod habet existentiam quocumque modo. nam subiectum habens in se albedinem, habet etiam in se existentiam albedinis, quae (vt suppono) non distinguitur ab albedine, & tamen subiectum non dicitur existens per existentiam albedinis, quia existens est, quod habet existentiam secundum identitatem, seu existentiam sui. Sic etiam vnum, vel duo non est, quod habet vtrumque in se vnitatem, vel dualitatem. nam qui habet in se vnam, vel duas albedines, non ideo est vnus, vel duo ab illa vnitatem, vel dualitate albedinis, esse enim vnum, vel duo, est habere per identitatem vnitatem, vel dualitatem sui ipsius; non ergo est Christus duo ex eo, quod habeat dualitatem naturarum, nisi habeat dualitatem sui ipsius, nempe illius, quod dicit in recto.

Adde, Aristotelem in illo loco non dicere quod vnum & duo sint denominatiua, sicut album & nigrum, sed quod sicut se habet vnum ad duo, sic se habeant duo ad vnum, vt constat ex textu, & omnibus versionibus.

Quinto arguitur, sicut forma accidentaliter facit alterum, sic forma substantialiter facit aliud; sed in Christo sunt duae naturae substantiales; ergo Christus est aliud, & aliud simpliciter.

Respondeo, esse discrimen; quod alter solum significet diuersitatem ex parte formae, nec exigat vnum negari de altero; dicitur enim homo alter a seipso per febrem superuenientem, non tamen dicitur quod ipse non sit ille. At verò aliud significat non solum diuersitatem formae substantialiter, sed quod hoc non sit illud; quae quidem diuersitas tota pender ex vsu hominum circa illas voces.

Adde, non videri certum, quod sola diuersitas formae accidentaliter facit vt, vt in rigore loquendo dicatur homo alter, dicitur quidem alteratus; sed fortasse vt in rigore dicatur alter, requiritur etiam distinctio suppositi. Sed haec sint satis de his quae pertinent ad meras voces, nunc redeamus iam ad quaestiones magis reales.

DISPUTATIO XXV.

De voluntate Christi.

Vtrum in Christo voluntas humana fuerit contraria voluntati diuina?

ALIQVA supponenda sunt. Primum est, in Christo domino sicut sunt duae naturae inconfusae, sic esse duas voluntates distinctas, & inconfusas, diuinam, & humanam. Est de fide, vt constat ex VI. Synodo *act.* 4. 3. 11. & 18. & ex VII. Synodo *act.* 7. in definitione fidei, & ex Lateran. sub Martino I. *can.* 11. & in Florent. *sess.* ultima, in decreto Eugenij 3. quod dogma

colligitur ex Scriptura Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ioan. 5. *Non quero voluntatem meam, sed eam qui misit me.* Ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem;* quae sane obedientia non potuit esse, nisi in voluntate humana, nemo enim sibi obediens potest secundum eandem voluntatem.

Contra hoc fidei dogma errant non solum ij, qui in Christo vnam solam naturam posuerunt, & consequenter vnam solum voluntatem, sed etiam ex iis, qui duas naturas contra Eutychem concedebant, errant peculiariter heretici Monothelitae, sic appellati propter vnicam voluntatem, quam in Christo ponebant. Eorum praecipui fuerunt Macharius, Cyprus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, quibus P. Vasquez *disp.* 73. n. 1. annumerat alium nomine Typum, quem dicit fuisse discipulum illius Pauli, vt colligitur ex dicto Concilio Lateran. sub Martino I. *consult.* 4. *can.* 18. Sed ex eodem Concilio constat clare, illum Typum non fuisse hominem, sed libellum quandam, seu formulam credendi editam ab haereticis persuasionem Pauli, quae lecta fuerat in *consult.* 4. eiusdem Concilij, & reprobatur ibi, & postea iterum damnatur in illa consultatione.

Circa hunc errorem dubitari solet, an ij heretici negauerint in Christo solum actum voluntatis humanae, an verò ipsam etiam potentiam volitiuam? Magis credo, ipsos non fuisse sollicitos de potentia volitiua, sed de eius actu, seu voluntate actuali, cui cetera membra parerent: quod late probat Vasquez *ubi supra dicto c.* 1. & post eum alij recentiores. Colligitur autem ex Agathone Papa in *epist.* ad Heraclium, quae est in VI. Synodo *act.* 4. vbi post medium epistolae, voluntatem illam, de qua erat controuersia cum haereticis, dicit esse motum naturae, quoniam motus est animi. Item ex eadem Synodo *act.* 8. vbi dicitur Macharium negasse in Christo operationem. Et quidem cum sit dubium inter Philosophos, an potentia intellectus & voluntatis distinguantur realiter ab anima, & sententia negans tribui soleat Augustino in *serm.* de imagine *c.* 11. & in *lib.* de spiritu & anima *c.* 13. (si tamen liber ille verè sit Augustini) non videtur credibile, quod illi haeretici errorem suum voluerint dependere omnino ab illa alia sententia affirmante distinctionem realem potentiarum, quae quidem sententia tunc temporis fortasse minus communis erat: nam negato illo principio philosophico, nulla controuersia supererat; cum enim concederent in Christo veram animam rationalem intellectualem, prout re vera illi haeretici fatebantur contra Apollinarem, vt constat ex eadem *act.* 8. non poterant negare potentiam volitiuam, nisi probando, potentias has distingui realiter ab anima; quod tamen ipsi nunquam probauerunt, nec de hoc curasse videntur, quia nimium solum erant solliciti de tollenda in Christo operatione voluntatis humanae, quae frequentissimè apud Patres, & auctores Ecclesiasticos voluntas appellatur.

Dubitari etiam solet, an hi haeretici negauerint etiam actum intelligendi creatum in Christo, an solum actum voluntatis. Mag. Petrus Lorca in praesenti *disp.* 69. num. 8. cum aliis dicit vtrumque actum fuisse ab eis ablatum, sed absque fun-

H h 4 damento

2
Error nonnullorum.

Vasquez.

3
Dubium circa illum errorem.

Agath. Pap.

August.

4
Aliud dubium.
Lorca.

Vasquez.
Suarez.
Notandum.

damento id eis tribuitur; quare circa solam operationem voluntatis eos errasse sentit Vasquez *supra* 9. a. 1. & Suarez *ibi* disp. 24. sect. 1.

Denique notandum est, Patres contra eos hereticos definiuisse, in Christo esse duas voluntates naturales, quo loquendi modo non significarunt voluntates necessarias, prout aliquando naturale solet opponi libero; sed potius duas voluntates correspondentes diuersis naturis, & ortas ex naturis, vt explicat Vasquez in presenti disp. 73. num. 5.

5
Difficultas
circa voluntatem
humanam & diuinam.

His ergo suppositis, difficultas est, an hæ voluntates fuerit inter se contrarie? Hoc enim fuit potissimum hereticorum fundamentum, qui vt à Christo Domino omnem pugnam, & discordiam internam auferrent, duplicem voluntatem negarunt, existimantes non posse perpetuam pacem absque similitudine subsistere, vbi duplex esset liberum arbitrium. Catholici tamen ita duas voluntates concedunt, vt pugnam, atque discordiam vllam non agnoscant.

Difficultas præcipue oritur ex Scriptura, in qua ita ponitur voluntas humana Christi, vt videatur poni contraria voluntati diuinæ. Nam *Matth. 26.* ostendit voluntatem fugiendi mortem illis verbis: *Transseat à me calix iste*; cum tamen Deus vellet ipsum mori. Fuerunt ergo voluntates oppositæ in Christo, quod magis ostenditur verbis sequentibus. *Verum tamen non sicut ergo volo, sed sicut tu; & Luc. 22.* *Verum tamen non mea, sed tua voluntas fiat*; non ergo idem volebat diuinitas, & humanitas, alioquin vtriusque voluntas fieret.

6
Solutio.
VI. Synod.

Certum tamen est, non fuisse in Christo, propriè loquendo, contrarietatem voluntatum, quod videtur definitum in VI. Synodo *act. 4.* vbi in epistola Agathonis Papæ sic dicitur. *Prædicamus duas naturales voluntates, non contrarias, (iuxta quod impij asserunt heretici,) sed sequentem eius humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius subiectam diuinæ eius, atque omnipotenti voluntati.* idem habetur *act. 11.* in epistola Sophronij, & *act. 17.* in confessione fidei, & in alijs Concilijs, & Patribus passim, quorum loca vide apud Suarez *disp. 38. sect. 4.*

Suarez.

Colligitur autem ex Scriptura ad *Hebr. 10.* & *Psal. 36.* *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam Deus.* *Ioan. 4.* *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* *Ioan. 8.* *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Non ergo potuit esse repugnantia inter voluntates, quarum vna alteram semper sequebatur.

7
Probatio aliorum.

Probant aliqui, quia non erat possibile, eum qui sciebat, quid Deus velle per voluntatem consequentem circa singula, prout cognoscebat Christus, velle oppositum, hoc enim esset velle aliquid impossibile. Ita cum alijs Suarez in presenti *disp. 38. sect. 4.*

Authori non
satisfacit.

Hæc tamen ratio non videtur satis efficax, quia posset dici scientiam illam Christi de diuina voluntate non fuisse scientiam antecedentem, sed consequentem in Christo. nam sicut voluntas ipsa diuina, erat plerumque consequens libertatem humanam; quare pro priori signo, sicut non intelligitur in intellectu diuino præscientia illius voluntatis, nec impedit libertatem, & indifferentiam Dei ad vtrumque, quia est scientia consequens; nec debebat intelligi in intelle-

ctu humano Christi pro eo signo priori talis scientia, atque adeo nec poterat impedire libertatem ad volendum, vel nolendum tale obiectum, quia scientia, quæ non intelligitur existens pro eo signo, pro quo homo est in actu primo proximo ad operandum, non potest vllomodo impedire voluntatem ab exercitio alicuius actus, cum non possit mouere, vel remouere obiectum, quod adhuc non consideratur, nec proponitur.

Melius ergo probatur ex eo quod licet ille modus volendi non repugnet cum ea scientia existente pro posteriori; prudens tamen modus operandi, qualis semper fuit in Christo, cum summa consideratione, & aduertentia ad omnia exigere videtur, vt in iis, de quibus homo non scit diuinam voluntatem, non decernat ipse homo omnino absolute, sed cum aliqua semper suspensione, & conditione quasi implicita, nimirum: Volo hoc, nisi Deo aliter placuerit, vel volo applicare media naturalia ad hunc finem, vel alio simili modo, quæ voluntas licet esset in Christo, non esset contraria voluntati diuinæ, vt postea explicabimus.

Tota itaque controuersia est in explicando, quomodo voluntas humana Christi fugiendi mortem, & aliorum obiectorum similibus, non fuerit contraria voluntati diuinæ.

P. Vasquez in presenti *disp. 73. numer. 11.* refert sententiam Hilarij *can. 31. in Mattheum* dicentis, Christum non orasse pro morte vitædæ, sed pro discipulis, ne similia paterentur, ita vt deficerent; cui consentire videntur Hieronymus in illa verba *Matthæi 26. Transseat à me calix iste*; dicens, Christum orasse, non vt vitaret mortem, sed ex misericordia populi Iudaici, ne illi propinarent ipsi calicem mortis, neque essent auctores illius mali. In quorum Patrum sententia, si vera esset, dicit Vasquez cessare omnino difficultatem, cum nulla videretur superesse contrarietas voluntatum.

Sed quod attinet ad Hieronymum, non videtur cessare difficultas, etiam si eius interpretatio admitteretur. nam sicut Deus volebat Christum mori, sic etiam volebat de facto permittere vt à Iudeis pateretur; ergo Christus desiderans, & petens ne permitteretur mors illa inferri à Iudeis, volebat aliquid contrarium voluntati diuinæ.

Alij secundo dicunt, voluntatem illam non fuisse contrariam, quia Deus ipse voluit, quod humana voluntas Christi refugeret, & timeret mortem; quare in illa ipsa fuga mortis, voluntas humana obediens, & conformabatur voluntati diuinæ. Ita Bonaventura, Richardus, Gabriel, Durandus, Marfilus, & Maior, quos refert Vasquez *ubi supra* n. 13. Qui eam sententiam impugnant, ex eo quod iam Deus esset auctor voluntatum contrariarum in Christo; nam velle quod moriatur, & nolle mori, sunt voluntates contrarie; ergo si Deus vult quod Christus nolit mori, Deus est auctor duplicis voluntatis contrarie, quod omnino repugnat.

Hoc tamen non multum virget, quia non apparet inconueniens in hoc quod est Deum esse auctorem duplicis voluntatis contrarie; quando enim duo homines, vterque ex zelo bono, & desiderio placendi Deo, volunt res contrarias, & abique

absque detrimento charitatis sibi inuicem dissentientes aduersantur, uterque meretur per voluntatem illam, & utriusque voluntatis contraria auctor est idem Deus. Sic ergo posset esse auctor voluntatum contrariarum in duplici natura eiusdem suppositi. nam duae naturae in ordine ad actus voluntatis habent se eodem modo, sicut duo supposita diuersa. Nec etiam repugnat ex eo quod Deus sit auctor voluntatis contrariae voluntati suae; quia cum illa voluntas esset bona, & meritoria in illo casu, ut supponimus, parum refert quod sit materialiter contraria voluntati diuinæ. Sic enim Abraham volebat de facto occidere filium suum, quem Deus absolute nolebat occidi, & tamen voluntas Abrahae erat honesta, & meritoria, eiusque auctor specialis erat Deus: similiter ergo poterat esse Deus auctor specialis contra voluntatis honestae, qua Christus nollet mori, cum tamen Deus ipse vellet eum mori.

Melius impugnari potest ille modus explicandi ex eo quod licet Deus vellet humanitatem Christi nollet mori, adhuc re vera illa voluntas esset contraria voluntati Dei de morte Christi, nam velle mortem, & nollet eandem mortem, opponuntur contrarie, ut constat; ideo namque non possunt esse ij duo actus simul in eadē voluntate: iam ergo haberet Christus simul in duplici natura duas voluntates contrarias. Excusaretur quidem à peccato nolitio mortis, ex eo quod Deus vellet etiam illam nolitioem; per hoc tamen non vitatur contrarietas inter illas duas voluntates, quia haec attenditur solum penes obiectum volitum, & nolitum, quod quidem esset idem, nempe eadem mors Christi.

Alij tertio dicunt non fuisse contrarietatem inter voluntates, quia fuga mortis in Christo non erat libera, sed necessaria; sufficit autem, si ponamus voluntatem humanam liberam Christi semper fuisse conformem cum voluntate diuina.

Hoc etiam facile reicitur. Primo, quia, ut bene obseruat Vasquez, nulla fuit volūtas in Christo absque deliberatione precedente; siquidem ratio & aduertentia non impedita praueeniebat omnem affectum voluntatis; non ergo oriebatur necessitudo illa fuga mortis. Secundo, esto esse actus necessarius; per hoc tamen non tollitur contrarietas voluntatum, nam contraria sunt, quae se se mutuo expellunt; volitio autem, & nolitio simul eiusdem mortis non minus repugnant, quando sunt actus necessarii, quam si sint liberi, quia sicut in intellectu non possunt esse simul assensus, & dissensus circa idem obiectum, licet uterque sit actus necessarius; sic nec in voluntate possunt esse simul volitio & nolitio eiusdem obiecti, licet utraque esset necessaria; repugnantia enim non oritur ex libertate, sed ex obiecto, ad quod non potest voluntas simul accedere, & ab eodem recedere. Si ergo in Christo concedatur volitio, & nolitio mortis simul, iam concedantur voluntates contrariae, etiam si altera sit necessaria, & altera libera.

Alij quarto dicunt, illas non fuisse voluntates contrarias, quia non erant volitio, & nolitio mortis, sub eadem ratione formali, sed sub diuersis; per unam enim volebat mortem, quatenus erat necessaria ad salutem hominum; per alteram vero fugiebat eandem mortem, quatenus erat dis-

conueniens naturae; ad contrarietatem autem voluntatum requiritur, quod utraque versetur circa idem obiectum materiale, & formale. quod videtur etiam indicare S. Thomas in praesenti *quest. 18. art. 6. in corp.* *S. Thom.*

Haec tamen doctrina si intelligatur in vniuersum, & absque limitatione, prout aliqui etiam intelligunt, falsa est; nam voluntas peccatoris est maxime contraria voluntati Dei, & tamen non versatur utraque circa idem obiectum formale, sed solum circa idem obiectum materiale, nam Deo displicet intemperantia hominis, quia est contra rationem; homo vero illam vult, non quia est contra rationem, sed quia est delectabilis; ergo ad contrarietatem voluntatum non requiritur, quod utraque versetur circa idem obiectum formale. Ratio autem à priori sumitur ex dictis, quia illae sunt voluntates contrariae, quae se se inuicem expellunt; certum autem est, quod non potest idem homo simul velle, & nolle idem obiectum materiale, etiam propter diuersa formalia; neque enim potest simul velle restituere, ut obediat Deo, & velle retinere furtum propter lucrum; ergo ad oppositionem, & contrarietatem illarum voluntatum non requiritur idem motiuum formale vniuersum. Ad summum ergo habebit locum illa regula in voluntatibus inefficacibus, quae ut sint inuicem contrariae, non sufficit versari circa idem obiectum materiale, nam potest homo habere complacentiam, & displicentiam simplicem simul de eadem morte Patris, propter diuersa motiua; quare ut illae sint contrariae, & impossibiles, oportet quod versentur circa idem obiectum materiale, & formale; at vero, loquendo de voluntate absoluta, & efficaci, non requiritur villo modo idem motiuum, sed sufficit si versentur circa idem obiectum materiale, ad hoc ut eiusmodi voluntates dicantur contrariae. Nec in re dissentit sanctus Thomas *supra*; loquitur enim clare de voluntate inefficaci, ut constat ex ipso contextu.

Communis ergo explicatio est, quod in Christo illi duo affectus non fuerunt contrarij, quia alter erat absolutus & efficax, nempe volitio mortis; alter vero, nempe fuga mortis, erat affectus simplex, & inefficax. Hanc autem inefficaciam explicant multi per hoc, quod non sit voluntas absoluta, sed conditionata, quae declarari solet per verbum *vellem*. Aliis displicet hic modus explicandi; dicunt enim, nullum dari in voluntate nostra actum conditionatum, sed omnes esse absolutos, vel dari solum iudicium in intellectu iudicante, quid vellet voluntas nostra posita illa conditione. Ita Vasquez *disput. 73. num. 16. & 1.2. disput. 43. cap. 3.* quare actus inefficaces voluntatis dicit esse actus quosdam absolutos, qui dicuntur virtualiter conditionati, eo quod virtute continent alios actus absolutos, qui si talis, vel talis conditio poneretur, inferrentur ex his actibus inefficacibus, verbi gratia, voluntas vitae, & fuga mortis erat actus absolutus in Christo, inefficax quidem, sed talis, ut prodiret in actum efficacem fugiendi mortem si praeceptum Dei non esset, nec mors illa necessaria esset ad redemptionem nostram. Sic qui patitur abscissionem membri ad tuendam vitam, habet actualem displicentiam absolutam de abscissione membri, quae est implicitè,

14
Explicatio
communis.

Vasquez.

placitè, & virtualiter conditionalis, quatenus si abscissio non esset necessaria ad tuendam vitam, prodiret in actum absolutum, quo efficaciter abscissio impediretur. Christus ergo habuit voluntatem inefficacem fugiendi mortem, quam explicuit illis verbis: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Habuit etiam voluntatem aliam moriendi efficacem, quam explicuit verbis sequentibus, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* & Luc. 22. *verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

15
Iudicium au-
thoris.

Ego in primis existimo cum communi sententia, dari in voluntate actus elicitos tendentes in obiectum suum sub conditione; non quidem ita ut ipsi actus habeant suum esse sub conditione, (hoc enim repugnat in ipsis terminis,) sed ut amplectantur obiectum non absolute, sed sub conditione aliqua; quod quidem latius probare pertinet ad 1. 2. & colligi videtur ex actibus intellectus, per quos certum est, quòd aliquando assentimur obiecto non absolute, sed sub conditione, v.g. si *Petrus currit, mouetur;* ergo licet actus volitatis sit actus elicitus, poterit tamen ferri in bonum non absolute, sed sub conditione, sine qua non est bonum; sicut illud aliud obiectum non est verè absolute, sed sub conditione. In quo differunt intellectus, & voluntas à sensibus externis, qui non possunt ferri in sua obiecta sub conditione, sicut nec possunt ferri in illa abstractiue, sed solum intuitiue: at verò intellectus, & voluntas, sicut ferri possunt in obiectum absens & abstractiue; sic possunt ferri sub conditione, per tendentiam quidem actuale, & absolutam in suo esse; conditionalem tamen obiectiue, hoc est, ex nunc amplectendo illud obiectum pro eo casu quo posita sit talis conditio; in quo non videtur posse esse controuersia de re, sed de solo nomine.

16

Sed quidquid sit de hoc, explicari potest etiam illa voluntas inefficax per conditionalem implicitam, hoc est, talem modum volendi imperfectum, & limitatum, vt non sit omnino absolutus & vniuersalis, sed cū limitatione intrinseca. Certum enim videtur, quòd intra ipsum genus voluntatis absolute dari possit aliqua perfectior, & efficacior, quàm alia, vt constat in actu perfecto dilectionis Dei super omnia, quo ita efficaciter voluntas fertur in Deum, vt explicite, vel implicite comprehendat omnes casus, & conditiones possibiles, quibus positus, vel ablatis adhuc afficitur erga Deum; contra verò amor Dei, vel creaturæ non super omnia, sed imperfectus, licet non sit explicite conditionatus, non est tamen ita efficax, quia propter debilitatem intrinsecam, & imperfectum modum tendendi eo ipso ostendit, quòd adueniente noua difficultate, aut alio obiecto meliori, facile discedet ad hoc quod nunc amat. Sic se habet, qui putans, equum posse haberi triginta aureis, vult illum emere, & habere, non enim habet omnino efficacem amorem equi, sed imperfectum, & limitatum, hoc est, habendi illum per tale medium, seu quantum haberi potest per tale medium: vnde si postea videat, non posse haberi, nisi centum aureis, non mouetur efficaciter ab illo affectu priori ad ponendum tale medium difficilius; & ideo ille prior affectus dici potest conditionatus implicite, seu virtualiter, quia æquualet huic, *volo habere, equum, si haberi potest pro triginta aureis.*

Hoc supposito, vtroque modo explicari potest affectus Christi, quo fugiebat mortem; scilicet ita vt esset affectus conditionatus explicite, quo diceret: *Volo fugere, & vitare mortem, si Deus cum indifferentia exoratus annuere vouerit.* Vel potest explicari per affectum absolutum, sed inefficacem, & virtualiter, seu implicite conditionatum, hoc modo: *Volo fugere & vitare mortem per hoc medium orationis indifferentis, & cum subordinatione ad diuinam voluntatem factæ, seu quantum per hoc medium, & non per alia efficaciora fieri poterit.* Neuter autem horum actuum contrarius erat voluntati Dei de morte Christi, nam voluntas absoluta, & nolitio formaliter, vel virtualiter conditionata eiusdem obiecti, non aduersantur sibi inuicem, vt constat.

Contra hoc tamè est difficultas ex verbis Agathonis Papæ, qui in epistola sua relata in VI. Synodo act. 4. ex illa Christi voluntate vitandi mortem arguit in Christo voluntatem humanam distinctam à voluntate diuina. quo eodem argumento vtitur eadem VI. Synodus act. 10. videtur autem infirmum hoc argumentum, si illa Christi voluntas erat solum conditionata, vel inefficax, quia voluntate inefficaci, seu conditionata etiam ipsi Deo displicebat Christi mors; ergo ex voluntate conditionata, vel inefficaci non arguitur sufficienter illa esse voluntas humana, & non diuina, ac per consequens fatendum est, illam fuisse voluntatem absolutam, & efficacem.

Respondeo facile, dogma illud non colligi ab Agathone vel à Synodo præcisè ex affectu displicentiæ erga mortem, sed primò ex modo, quo Christus illa verba protulit, scilicet cum tristitia & timore, quorum affectuum non est capax diuina voluntas. Secundò ex eo quòd orauerit, *Pater si possibile est, transeat à me,* &c. nam per voluntatem diuinam orare non poterat. Tertiò denique ex verbis illis, *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat;* in quibus manifestè condistinguit voluntatem suam à voluntate Dei, sicut & in aliis multis locis, quæ ad hoc ipsum probandum in eadem Synodo ponderantur.

Dices, si voluntas Christi de fugienda morte erat solum conditionata, seu inefficax, & nõ opponeretur diuinæ; cur ergo adiunxit, *non mea, sed tua voluntas fiat?* nã vera vtraque impleta est, qui enim vult solum sub conditione aliquid, quod deficiente conditione non ponitur, non potest dicere, quòd eius voluntas non fuerit impleta.

Respondeo, licet, strictè loquendo, ita sit, nec dicatur resisti voluntati alicuius, nisi resistatur voluntati absolute, in quo sensu dicitur in Scriptura, *voluntati Dei neminem posse resistere.* Genes. 30. *Num Dei possumus resistere voluntati.* Esther. 9. *Non est, qui possit tua resistere voluntati;* quæ de voluntate diuina absoluta, & efficaci intelliguntur cæterum aliquando dici etiam solet, quòd resistimus voluntati alicuius, licet non sit absoluta, & efficax, sed illa, quæ solet à Theologis appellari *voluntas signi,* & in hoc sensu dicitur quòd resistit homo voluntati Dei, Act. 7. *Vos semper Spiritui S. resistitis.* Rom. 13. *Qui resistit prestatati, Dei ordinationi resistit.* Job. 9. *Quis resistit ei, & pacem habuit.* In quo sensu dicitur etiam homo implere, vel impedire voluntatem Dei, & ideo petimus in oratione Dominica; *Fiat voluntas tua,* quod de voluntate efficaci Dei

Dei inutiliter peteretur, cum esset obiectum omnino necessarium, atque adeo intelligi debet de voluntate signi, seu inefficaci, quae aliquando non fit. In eodem ergo sensu potuit Christus dicere, *Non mea, sed tua voluntas fiat*, licet loqueretur de voluntate illa inefficaci fugiendi mortem.

Hinc inferitur primò, voluntatem humanam Christi fuisse semper conformem voluntati diuinæ. Nam licet habuerit affectus inefficaces circa obiecta, quæ Deus absolute nolebat; eiusmodi tamen effectus non auferunt conformitatem absolutam, sicut nec afferunt contrarietatem propriam, cum non opponantur simpliciter voluntas absoluta vnius obiecti, & voluntas inefficax oppositi. An verò hæc conformitas ita fuerit necessaria in Christo, ut nec de potentia absoluta potuerit non esse.

P. Suarez dicit a disp. 38. sect. 4. §. Quæres, dicit potuisse deesse, si anima Christi non haberet scientiam voluntatis diuinæ circa illa obiecta, quæ scientia diuinitus carere potuisset; de facto tamen id non potuisse contingere propter scientiam, quam habebat, cum qua non poterat illo modo velle oppositum illius, quod Deus volebat, quia hoc esset stultè conari ad aliquod impossibile.

Contra hoc tamen est, quia, ut supra diximus, non videtur repugnare, quòd pro priori naturæ scientiam de voluntate, & decreto Dei possit voluntas humana velle aliquid obiectum, quod pro eo priori non apparet impossibile, licet hoc ipsum pro signo posteriori appareat iam impossibile; nam qui hoc instanti liber est, & indifferens ad amorem, & odium eliciendum, pro priori naturæ videt, utrumque actum esse sibi possibilem possibilitate antecedenti, seu quantum est ex vi eorum, quæ pro eo signo representantur, quæ cognitio sufficit, ut possit absolute habere actum amoris; licet pro signo posteriori, pro quo iam existit actus liber odij, experiatur actum odij, & per consequens iudicet, esse impossibile actum amoris eo instanti impotentia consequenti, quæ cognitio impossibilitatis consequentis, si præcessisset pro signo priori, non posset homo velle absolute actum amoris, quem iam præsciebat esse impossibilem impotentia consequenti; ergo cognitio possibilitatis obiecti, quæ prærequiritur ad voluntatem absolutam illius, non debet esse iudicium absolutum de possibilitate omnimoda, sed sufficit, quòd iudicetur possibile, quantum est ex iis principiis, quæ pro eo signo occurrunt intellectu. Potuisset ergo Christus habere tale iudicium de obiecto aliquo; & per consequens, potuisset velle absolute illud, licet pro signo posteriori haberet scientiam de decreto diuino contrario. Quod quidem in Angelis habentibus maiorem celeritatem, & facilitatem in suis operationibus videtur satis verisimile, quòd Angelus in hoc instanti desiderans, & petens aliquid obiectum à Deo, in eodem instanti pro posteriori naturæ audiat diuinum responsum de decreto opposito & firmo Dei, quod quidem decretum, si prius cognouisset Angelus, non potuisset velle absolute & desiderare illud obiectum; potuit tamen de facto, quia scientia superueniens pro signo posteriori non impediuit operationem præcedentem ortam ex scientia solum antecedenti.

Dices, si potuit ita esse, cur negabimus de facto ita fuisse in Christo voluntates illas absolu-

tas contrarias voluntati diuinæ in obiecto materiali ortas, non ex præscientia diuini decreti, sed ex alia scientia, licet pro posteriori subsequeretur scientia de voluntate contraria Dei.

Respondeo, quidquid sit, an de facto scientia illa decreti, & voluntatis diuinæ præcesserit in Christo pro signo priori, an subsequuta fuerit pro posteriori; ille tamen modus operandi, & volendi absolute obiectum non decebat Christum, cum prudentia ipsa, & pietas diceret, nihil ita volendum esse absolute, antequam cõstet de diuina voluntate, sed debita modestia, & pia restrictione, & limitatione, quam docuit Iacobus Apostolus epistola sua canonica cap. 4. illis verbis, *Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrũ faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino, &c.* Pro eo ut dicatis: si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Quem modum obseruauerunt sancti homines, ut in se ostendit Paulus 1. ad Cor. 7. *Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit, & c. 16. Spero enim, me aliquatulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit, & alibi passim; quare multò magis oportebat, voluntatem humanam Christi eam modestiam obseruare in suis decretis, nec ita absolute & constanter in obiecta proposita ferri, sed cum restrictione, & limitatione debita, si Deo placuerit, si Deo aliter non visum fuerit.* quæ voluntas non erat contraria diuinæ, etiam si Deus oppositum vellet, ut constat.

Inferitur secundò, quid dicendum sit ad illud dubium, an voluntas humana semper fuerit impleta in quo aliqui distinguunt de obiectis volitis, quæ implenda erant per ipsum Christum, & de iis, quæ implenda erant per alios: nam circa priora semper fuit impleta voluntas efficax Christi, non verò circa posteriora; aliquando enim latere voluit, & non potuit, *Matth. 9. & Marc. 7.* Sed re vera, iuxta distinctionem traditam, omnis voluntas humana Christi absoluta, & efficax impleta fuit, nunquam enim eo modo volebat absolute, nisi quod facere poterat. Quando autem latere voluit, vel quid simile, non volebat omnino absolute, sed quantum per vires naturales, & humana media fieri poterat, quibus mediis adhibitis non cogebatur ex vi illius voluntatis ad adhibenda alia media supernaturalia, & miraculosa in ordine ad illum finem: hoc autem sufficit ad verificandum, quod Christus voluit latere, scilicet illo genere voluntatis absolute, quantum est in ordine ad media humana. Et in hoc etiam est discrimen voluntatis humanæ Christi, & diuinæ, quòd voluntas diuina, quoties vult aliquid etiam cum illa limitatione, scilicet quantum per vires suas naturales fieri possit, obtinebit effectum, quia omnia possible sunt secundum vires proprias Dei; at verò voluntas humana Christi illa limitatione non semper impleri debuit; aliqua enim erant, quæ per vires solas proprias humanitatis obtineri non poterant; in quo sensu intelligendus videtur S. Thom. *supra q. 13. art. 4.* ubi Agatho-
s. Thom.

nis testimonio colligit aliquam voluntatem Christi non fuisse impletam, atque adeo illam non potuisse esse diuinam, sed humanam.

Inferitur tertio, neque etiam fuisse intra naturam humanam Christi repugnantiam, seu contrarietatem actuum, proprie loquendo; quia affectus

ctus inefficax circa vitam, & affectus efficax circa mortem, non sunt oppositi, propriè loquendo. Quomodo autem illi affectus non sufficiant ad hoc, ut dicatur Christum habuisse pugnam, aut tentationem internam, explicuimus latè suprà disp. 22. sect. 1. Vide quæ ibi dicta sunt, ex quibus confirmari potest doctrina huius sectionis.

DISPUTATIO XXVI.

De libertate, & impeccabilitate Christi.

SECTIO I. *Utrum fuerit, vel potuerit esse in Christo peccatum?*

SECT. II. *Utrum natura humana esset æquè impeccabilis, si uniretur naturæ diuinæ media subsistentia creata?*

SECT. III. *Resoluntur aliquot dubia ex doctrina præcedenti.*

SECT. IV. *Utrum potuerit esse in Christo fomes, vel habitus vitiosus, vel aliquis actus malus ex obiecto?*

SECT. V. *Utrum potuerit humanitas Verbi peccare, ita ut dissolueretur unio propter peccatum?*

SECT. VI. *Quomodo stet impeccabilitas Christi cum eius libertate? Reseruntur aliquæ sententia.*

SECT. VII. *Examinatur sententia, & solutio communis de libertate Christi.*

SECT. VIII. *Explicatur probabilior solutio difficultatis.*

SECT. IX. *Respondetur ad argumenta cuiusdam auctoris moderni contra nostram sententiam?*

SECT. X. *Utrum humanitas Christi potuerit elicere actum minus perfectum, omisso perfectiori?*

SECT. XI. *Soluntur aliquæ obiectiones contra doctrinam præcedentem.*

DE impeccabilitate Christi disputari solet, in quæst. 15. ubi agitur de defectibus animæ à Christo assumptis; cæterum magna ex parte pertinet etiam ad questionem decimam octauam, & decimam nonam, ubi agitur de libertate, & merito Christi. Et sanè impeccabilitas Christi potissimè pendet ex eo, quod concilietur cum libertate sufficienti ad meritum; quare agrè potest utraque difficultas disputatione seiungi. Oportebit ergo eam omnino in præsentem comprehendere, referuantes quæ propria sunt meriti, ad disp. 27. de merito Christi.

SECTIO I.

Utrum fuerit, vel potuerit esse peccatum in Christo?

Non loquimur de Christo ut Deo; ut sic enim sicut est essentialiter sanctus, est etiam

essentialiter incapax peccati; sed loquimur de Christo ut homine, de quo etiam est fidei dogma non habuisse peccatum mortale, vel veniale: quod in primis constat ex Scriptura passim: ad Hebr. 7. *Oportebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, &c. &c. 9. Semetipsum obtulit immaculatam Deo.* Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 2. ad Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum.* 1. Petr. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Item ex Concilio Ephesino can. 10. & Concilio Later. sub Martino I. can. 5. & aliis passim, & ex Patribus, quorum loca, & verba vide apud Suarez disp. 34. sect. 2. & alios recentiores in præsentem, qui facile soluunt argumenta aliquorum hæreticorum, qui de Christo impiè blasphemauerunt, quod peccauerit.

Certum etiam est, non potuisse saltem ex natura rei peccare, quod etiam ex Patribus manifestè colligitur; & ratione clarè constat, tum quia Christus conaturaliter ratione vnionis exiebat visionem beatam, cum qua ex natura rei non potest stare peccatum; tum etiam, quia humanitas Christi, ratione vnionis erat necessariò sancta, siue per gratiam habitalem, siue per personalitatem Verbi, & diuinitatem vnitam, siue per utramque: sanctitas autem, quæcumque illa sit, repugnat saltem ex natura rei cum peccato, ut de se constat, & sanctitas excellentior, & summa, qualis erat sanctitas substantialis Christi, debet repugnare omni peccato etiam veniali saltem ex natura rei.

Difficultas primùm est, an de potentia absoluta potuerit peccare. Et quidem hæc quæstio potest procedere, vel de Christo in concreto, an scilicet humanitas in sensu cōposito vnionis hypostaticè potuerit de potentia absoluta peccare; vel de humanitate in abstracto, an scilicet in sensu diuiso ab vnione potuerit peccare perdendo vnionem. Nunc loquimur in primo sensu, in quo affirmarunt Scotus, Durandus, Marsilius, & Gabriel, re-

lati apud Vazquez in præsentem disp. 61. c. 2. Aliqui tamen dicunt, potuisse id fieri, si assummeretur natura humana sine visione, vel gratia habituali; cæterum non planè asserunt potuisse assumi sine iis donis. Fundamentum præcipuum est, quia humanitas per assumptionem non perdidit potentiam natiuam ad operandum circa obiectum prohibitum: nec etiam repugnat, quod suppositum diuinum denominatiuè per communicationem idiomatum dicatur peccare, sicut dicitur mori, & alia huiusmodi.

Contraria sententia communis, vera, & certa est, aded, ut primam Suarez cum aliis dicant temerariam: Vazquez & alij dignam aliqua celsura, ex ea enim infertur, Deum ipsum potuisse peccare, & per consequens Deum posse esse pessimum, esse damnatum, esse deteriorem diabolo, & alia huiusmodi, quæ qui concederet, non tam rationibus (inquit Capreolus) quàm flammis esset coercendus. Pro hac sententia sunt in primis loca sanctorum Patrum, quæ congerit Vazquez ubi suprà c. 3. quibus adde Augustinum rom. 4. lib. 2. *de Incarnatione Verbi, aliquantum ante finem, his verbis: Sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti, nullum genus aliud potest recipere liquoris, ita anima Christi velut vas in quo inerat substantia vnguenti, impossibile fuit, ut contrarium*